



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXXXVII. De Destructione Civitatis Memelae & plurium Castrorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

vasa altaris, & quicquid ad Divinum cultum spectabat, inhumaniter polluit & concremavit.

ANIMADVERSIONES

(a) Æsthoniam Livoniæ Provinciæ jam ante Christianorum ingressum regno Daniæ fuisse subjectam à Canuto Rege, tradit Joannes Isacius Pontanus *l. VI. Rerum Danicar. ad An. 1196. pag. 290.* Alii hoc tribuunt Canuti fratri Waldemaro II. qui etiam Revaliâ conditâ Episcopatum ibidem constituit, Londensique Archiepiscopo ut Metropolitano subjecit. Pont. *Lib. VI. ad an. 1218. fol. 307. & ad annum 1234. f. 318.* Posthæc Fratres Ensisiferi omnibus viribus eò nitebantur, ut sibi Æsthoniam subjicerent. Jamque Revaliam expugnaverant; eam tamen dein auctoritate Legati Pontificii compulsi Danis reddiderunt. Th. Waisselius *in Chron. Pruss. & Livon. fol. 61. (b).* Non cessarunt verò & postea Cruciferi Revaliensibus insidias struere. Unde Æsthoniæ Nobilitas extorsit à Christophoro II. Rege literas, quibus Rex promittit, se nunquam Æsthoniam à Regno Daniæ vel venditione, vel alio modo, separaturum, quas literas exhibet Pontanus *lib. VII. pag. 450.* Contra hæc tamen pacta & Contra Æsthonum jusjurandum, quo illi nunquam se à Regno Daniæ recessuros promittebant, vendidit Waldemarus III. Christophori filius Æsthoniam Henrico Dushero Mag. Ord. Generali An. 1346. acceptis 18000. (19000.) argenti Marcis. Pontanus *l. VII. f. 475.* Conf. Balthasar Rustovv *in Chron. Livon. part. II. fol. 39. b.* Quamvis autem Æsthonia fuerit Cruciferis subjecta, Episcopus tamen Revaliensis Archiepiscopum Londensum agnovit Metropolitanum, quod de suo adhuc tempore testatur Alb. Cranz. *lib. VI. Wandal. cap. XI.*

(b) Per Daciam eorum temporum Scriptores intelligunt Daniam.

CAP. CCCXXXVII.

De

Destructione Civitatis Memelæ & plurimum Castrorum.

Ddd 2

Hoc

Hoc anno tertio die post festum B. Gregorii Papæ, Lethovvini de Samechia cum exercitu suo expugnaverunt Civitatem Memclam & unum sacerdotem fratrem Ordinis domus Teutonicæ occiderunt. LXX. quoque homines in ea ceperunt, quorum quidam interfecti sunt, alii in captivitatem perpetuam deducti, ipsam Civitatem & tria circumjacentia Castra neophytorum, cogas & naves alias, & quicquid igne consumi potuit præter solum Castrum in quo fratres habitabant in cinerem redegerunt.

CAP. CCCXXXIIX.

De

Morte fratris Friderici Quitz & vastatione territorii VWilovv.

IN vigilia B. Petri ad vincula anno prædicto Lethovvini intraverunt terram Sambia & in territorio Wilovv sex villas combusserunt, & fratrem Fridericum dictum Quiz virum audacem & in armis strenuum & XXXVI. viros interficientes, mulieres & parvulos cum præda alia deduxerunt.

CAP. CCCXXXIX.

De

Destructione Ducatus & Civitatis Dobrinensis, & occisione & captione IX. millium Christianorum.

IN die exaltationis Sanctæ Crucis ejusdem anni Lethovvini videntes, quod omnia succederent eis ad votum, congregato iterum exercitu valido venerunt ad Ducatum nobilis matronæ Ducissa de Dobrin, & sex millia hominum utriusque sexus, alios